

do pro exigentia sexûs, ætatis, temperamenti, idiosyncrasia, consuetudinis, & ipsius deniq; stâtûs morboſi Balneum attemperare conetur.

VIII. Ac proinde Balneum thermale no-
strum præcipuè in obstinatis Morbis, qui Po-
tui soli nequicquam cedunt, tanquam utile &
salutare commendatur, utpote quos per Dei
Gratiam ineffabilem inde sanari & persanari
longa annorum Experientia testatur. Hujus-
modi sunt omnis generis *cutanei Morbi*, Sca-
bies, *Ulcera inveterata*, *Crura oleaginosa*, *Auri-
um ulcera*, & *dolores*, *Surditas*, *Fistulæ non mali-
gnæ*, *etiam Ani ipsius*, *Paralysis membrorum*, *Par-
hesis ex Colica*, aut alio diuturno morbo pro-
veniens, *Arthritides*, *Ischiadicus dolor*, *Rheuma-
tismi*, *Dolores humeri*, *aliorumq; articulorum*,
Nephritis mucosa, *sabulosa*, *calculosa*; *Ischuria*,
Dysuria, *Stranguria*, *Mictus cruentus*, *Morbi o-
mnes uterini*, *Catamenia excessiva*, *deficientia*,
depravata, *suppressa*, *Fluor albus*, *Gonorrhœa*,
Chlorosis, *Leucophlegmatia*, *Tumores oedematosi*.
Sed & Balneum hoc restaurat omnes *Luxatio-
nes* & *Fracturas ossium malè curatas*, eorumque
spinas seu fragmenta expellit, sanat *Perniones*,
Vulnera malè curata aperit, *Globulos sclopeta-
rios*, *Pus*, *aliaq; corpora extranea inibi forsan*
adhuc cum dolore latentia, perinde ac *Renum*
Calculos salutariter expellit. Sicut per exem-
pla & observationes posthac in *Tractatu ger-
manicè edendo docebo*.

*In qui-
bus affe-
ctibus
specia-
tim con-
veniat?*